ORTHOGRAPHIAE ET PROSODIAE LATINAE SUMMARIUM.

IN USUM SODALIUM

INSTITUTI HISTORICI PHILOLOGICI

PETROPOLITANI

CONSCRIPSIT

LUCIANUS MUELLER.

1 ℳ 20 ₰ = 1 Fr. 50 Cent. = 75 Kop.

PETROPOLI

A. MDCCCLXXVIII.

LIPSIAE VENDIT B. G. TEUBNER;

PETROPOLI C. RICKER, NEVSKY-PROSPEKT NR. 14.

ORTHOGRAPHIAE
ET PROSODIAE LATINAE
SUMMARIUM.

IN USUM SODALIUM

INSTITUTI HISTORICI PHILOLOGICI

PETROPOLITANI

CONSCRIPSIT

LUCIANUS MUELLER.

1 ℳ 20 ₰ = 1 Fr. 50 Cent. = 75 Kop.

PETROPOLI

A. MDCCCLXXVIII.

LIPSIAE VENDIT B. G. TEUBNER;

PETROPOLI C. RICKER, NEVSKY-PROSPEKT NR. 14.

L. S.

Augendis promovendisque in Rossica terra antiquitatis Graecae et Latinae studiis cum nihil magis obstet quam subsidiorum litteratorum, quibus praeceptores futuri cum commodo utantur, paucitas, diu fuit consilium, ut et ipse pro mea parte aliquid conferrem, quo Instituti nostri sodales in fungendis praeceptoris linguae Latinae muneribus iuvarentur. Cuius studii documentum ut rei metricae poetarum Latinorum brevis enarratio, quam nuper edidimus, ita hic, quem manibus tenes, est libellus. In quo quod una agitur de orthographia Latina et de prosodia, id iudicibus idoneis facile probatum iri spero. Nam ut orthographia recte scribendi vocabula, ita prosodia recte pronuntiandi legibus temperatur, ut appareat disciplinam utramque non modo affinem inter se et contiguam, sed alteram alterius indigam. Quod cum ita sit, sequitur non satis recte rerum prosodiacarum doctrinam coniungi cum doctrina metricae: etenim peritia illarum non minus in pedestri sermone quam in versibus nobis opus est. Itaque ne hoc quidem mirum, quod videmus multos Romanorum poetas, maxime ultimorum temporum, excellentes metricarum legum cura, at parum observantes prosodiacarum; alios, antiquissimos praecipue, cum prosodiae servandae sint studiosissimi, peccantes in metricam.

Ceterum cum libellus noster esset destinatus usibus quotidianis praeceptorum, seclusa sunt pleraque eorum, quae a placitis florentissimae litterarum Latinarum aetatis scriptorum essent aliena.

Itaque sic habeto: in orthographia referenda describi potissimum morem et rationes sacc. p. Chr. primi, ut tamen

etiam Caesaris et Augusti aequalium spectentur placita; in prosodia usum qui optinuit a Lucretio Vergilioque usque ad Iuvenalem, ita, ut plurimum deferamus Augusti aequalibus et maxime quidem respiciantur auctores scholarum usu frequentati.

In orthographia constituenda etsi multum nos tribuere par erat grammaticorum inscriptionumque et librorum manu scriptorum testimoniis, plus tamen, ut solemus, tribuimus rationi, vix umquam ut commendaremus scripturas tales, quas a pronuntiandi more alienas fuisse constaret. Ceterum in hac opellae parte praeter nostras copias usi sumus, ut par erat, Lachmanni*), Ritschelii**), Corssenii***), Brambachii†), aliorum scriptis: reliqua proprio Marte, ut aiunt, gessimus. Qua quidem in re gratissimum mihi evenit, ut de accentu Latino sententiam animi apertissime possem exprimere, de quo et olim et nuper multi iudicarunt perperam, utque errores prosodiacos, qui plurimi feruntur in lexicis, liceret corrigere.

Dab. Petropoli, Kal. Febr. A. MDCCCLXXVIII.

---

*) Commentarius in Lucretium. Berolini 1850.

**) Opuscula philologica, p. II. Lipsiae 1868.

***) Ueber Aussprache, Vocalismus und Betonung der lateinischen Sprache. II part. Ed. alt. Lips. 1868. 1870. Beiträge zur italischen Sprachkunde. Lips. 1876.

†) Die Neugestaltung der lateinischen Orthographie. Lipsiae 1868. — Hülfsbüchlein für lateinische Rechtschreibung. Ed. alt. Lipsiae 1876.

I.

DE ORTHOGRAPHIA.

§. 1.

Quid sit orthographia.

Orthographia est *recta verborum scriptura.*

Eius leges duplici possunt temperari ratione: nam aut *ad originem verborum et ad etymologiam* (quod latine dicitur *veriloquium*) *referuntur* aut *ad communis vitae usum pronuntiandi.* Illam fere sequuntur Galli ac Britanni, hanc ut plurimum Germani et Rossi; magis etiam eadem usi Graeci et Romani veteres.

Ceterum ut sunt humana inconstantia, nulla gens ita probavit alteram rationem, ut altera prorsus esset exclusa. Praeterea nulla scriptura ita potest reddi vox humana, haec ut semper et ubique aequetur illa. Porro partim consilio partim casu, ut in aliis rebus, ita in orthographia interdum recta ratio evertitur.

Denique perinde atque omnia, etiam orthographia temporum cursu plerumque mutatur. *Itaque inter Romanos alia scriptura verborum usus Livius, alia Ennius, alia Cicero, alia Tacitus.* Quod cum ita sit, ne inaequalitate scribendi aut oculi offendantur legentium aut in errorem inducantur animi, *scriptura nostra reddi oportet certae usum ac morem aetatis, et quidem eius, qua ipsa lingua scriptorum pariter ingeniis et studiis grammaticorum ad summam est adducta perfectionem.*

Igitur in Latina lingua sequendus est mos scribendi, qui optinuit apud cultissimum quemque Romanorum saeculo eo, quod fuit inter Augusti mortem et Traiani (ab a. p. Chr. n. 14 *ad* 117), *proximum illud aureae litterarum Latinarum aetati, cuius quidem auctores exceptis Varrone et Lucretio ac Sallustio, qui etiam in orthographia amant archaismos, prope accedunt ad usum scribendi saec. p. Chr. primi.* Nam orthographia priorum temporum partim subobscura propter penuriam testimoniorum,

partim vetustate horrida, posteriorum primum fucata quadam antiquitatis specie (quae quidem maxime affectabatur saec. II) deformis, deinde rusticitate, a saeculo quippe III p. Chr. n. in barbariem vergente sermone Latino. Praeterea ut in sermone, ita in scriptura tamquam scopulum nos fugere oportet quaevis inusitata, excepto quando ea adhibentur cum consilio certo ac ratione, velut ad imaginem quandam antiquitatis reddendam aut irridendi causa. *Sequendus igitur summus ille Latini sermonis arbiter Cicero*, qui dixit in Oratore (48, 160), se in eis, quae aliter sua aetate efferrentur atque prisca, usum loquendi populo concessisse, scientiam sibi reservasse.

Ceterum satis constat Romanorum plerosque in orthographia non satis fuisse constantes aut diligentes (de quo dignissima memoria quae tradit Marius Victorinus pg. 2456 sqq. P.): nos tamen in ea oportet aliquanto plus ponere studii. Nam cum in illis Latinae linguae usus esset vivus ac nativus, non erat timendum, ne pronuntiatio orthographiae pravitate posset corrumpi. Aliter nunc res habet: nam cum sermone utamur Latino extrinsecus adscito et grammaticorum opera percepto, *scribendi nos studere oportet et integritati et aequalitati.* Propterea *ubi duplex constat scriptura, ea* omnino nostro usu *est adhibenda, quae commendatur soni suavitate,* quam Graeci dicunt euphoniam, satis cum constet illa solum in pronuntiando usos esse veteres, quatenus vigebat lingua Latina: v. c. scribendum *tempto*, non *temto*, *ahenus*, non *aenus*, *incoho*, non *inchoo*, *di* non *dii*.

Ipsi sane Romani, quo longius cultu et eruditione sunt provecti, eo magis diligentes vel potius morosi in scribendo ac pronuntiando extiterunt, haud raro ut propter analogiam veram vel falsam laederent leges euphoniae: quod tamen nos non debemus imitari exemplum.

§. 2.

De fontibus orthographiae Latinae.

Fontium ex quibus possit peti orthographiae Latinae peritia genus est quadruplex: grammaticorum scripta veterum, librorum Latinorum codices, inscriptiones, auctoritas poetarum.

De grammaticis.

Grammatici magis magisque vergente sermone Latino quod plurimum operae dederunt scripturae verborum corrigendae, quae et ipsa vulgi imperitia erat corrupta, non est mirum. Igitur a multis aut locis singulis aut aliquando totis voluminibus tractata orthographia. *Sed eorum cum cura examinanda et caute adhibenda placita.* Nam saepe aut eorum quos sequuntur errore decepti aut propria levitate inducti ineptissima quaeque et falsissima probaverunt. Qua in re maxime eis fuit fraudi cupido discernendi similia, veluti cum distinguebantur ab eis *vertex* et *vortex* aut adeo *arbor* et *arbos*, *lepor* et *lepos*, praeterea graecae linguae respectus nimius, denique studium exquirendi, unde verba essent ducta. Nam ad illustrandas origines vocabulorum Latinorum cum nulla eis lingua suppeteret praeter Latinam et Graecam, in etymologia factitanda eos plerumque a vero aberrare oportebat; eaque pravitate etiam orthographia corrupta.

Ac tamen grammaticorum testimonia utilissima saepe et gravissima, partim quia codicibus sunt usi aliquanto antiquioribus quam quibus nos utimur, partim quia secuti sunt ut plurimum auctoritatem grammaticorum primi p. Chr. n. saeculi, quo et sermo Latinus fuit emendatissimus et orthographiae studium acerrimum idemque subtilissimum. Etenim satis constat huius temporis scriptorum, quamquam diversi fuerunt doctrinâ et rationibus, maiorem partem ea probasse placita in scriptura verborum, quae paragr. 1 commendavimus.

Orthographiae studium inter Romanos tam fuit antiquum quam studium litterarum. Ipsum iam Livium Andronicum scripturae verborum rectae haud mediocrem operam navasse veri est simillimum. Mox Ennius in eadem est versatus cura. Deinde Accius quaedam novavit, quae quidem minus placerent Lucilio, homini et ipsi rei orthographicae studiosissimo. Deinde per Terentium Varronem, Nigidium Figulum, Verrium Flaccum hoc studium est propagatum ad homines doctos saec. p. Chr. primi et secundi. Ceterum temporibus illis orthographiae et grammaticae quanta fuerit cura, apparet vel ex hoc, quod ipse primus ille Caesarum C. Iulius de

analogia scripsit libros quodque Claudius Caesar aliquot litteris additis auxit litteraturam Romanorum sive, ut vulgo vocatur, alphabetum.

Saeculo post Chr. n. primo ac secundo magna admodum provenit Romae grammaticorum copia. Ex quibus maxime fuerunt insignes et ad orthographiam constituendam utiles M. Valerius Probus, C. Plinius Secundus, Caesellius Vindex, Flavius Caper, Velius Longus, Terentius Scaurus. Sed ex horum studiis praeter ea, quae posteriorum grammaticorum servata sunt curis, nihil pervenit ad nos nisi excerpta ex Capri scriptis Longique ac Scauri libelli singuli. Ceterum ut ea quae M. Tullius in Oratore [45, 153—48, 162], ita quae Quintilianus instit. orat. libro I [cap. 7] de orthographia sui temporis tradit, utilia admodum cognitu. Praeterea Gellius, qui floruit Antoninorum tempore, ut est homo variae doctrinae, in noctibus Atticis saepe tractat res orthographicas.

Saeculo III et proximis deficiente doctrina propria cum grammatici paratis antiquorum uterentur copiis, maxime Varronis, Verrii, Probi, Plinii, Caesellii, ingentia illa priorum volumina in brevius contrahi sunt coepta. Ita saeculo III a Pompeio Festo Verrii libri de significatione verborum, Plinii de dubio sermone a Iulio Romano sunt excerpti. Ceterum plerique grammaticorum ut olim, ita tunc rem orthographicam obiter magis tractavere quam propriis libris.

Utilissima sunt ad orthographiam vetustissimam cognoscendam, quae medio saec. IV Marius Victorinus primo libro artis grammaticae (p. 2456 sqq. P.) inseruit. Praeterea multa cognitu digna inveniuntur in scriptis Charisii, Diomedis, Donati et quae sub Probi nomine feruntur. Ea omnia etiam saeculi sunt quarti.

Ex saeculi V scriptis maxime ad usus pertinent nostros Prisciani Caesareensis institutionum grammaticarum libri XVIII. Denique paene in ipso fine litterarum Latinarum positus Aurelius Cassiodorius circa a. DLX ex variis diversorum pretio auctorum scriptis conflavit librum de orthographia.

Praeterea non est quod dicam, praeter eos quos memoravi etiam in aliorum grammaticorum scriptis subinde reperiri,

quibus cum commodo possis uti ad orthographiam recte constituendam. Grammaticorum latinorum scripta pleraque omnia, praeter Varronis, Festi, Nonii, reperiuntur in syllogis grammaticorum ab Elia Putschio [Hanoviae 1605] et Henrico Keilio ac Martino Hertzio editis [Lipsiae 1857 sqq.].

Qui proximi fuerunt temporibus Cassiodorii Isidorus (c. a. 600) et Beda (c. a. 700) etiamsi quaedam habent petita ex grammaticis scriptis probae antiquitatis et ob id satis commoda, plura tamen afferunt sui aevi barbariae congrua et memoria parum digna. Ceterum grammaticorum medii aevi studia satis possunt perdisci ex Hermanni Hageni anecdotis Helveticis [Lipsiae MDCCCLXX].

§. 3.

De codicibus.

Secundus fons orthographiae Latinae *codicibus manuscriptis* continetur, qui a quarto inde p. Chr. n. saeculo feruntur plurimi. Quorum quidem testimoniis eo plus apparet inesse auctoritatis, quo magis sunt et antiquitate insignes et cura. Et satis constat in multis libris describendis versatos esse homines et Latini sermonis et legum a grammaticis constitutarum bene gnaros. Sed vix pauciores reperiuntur, qui, quantumvis vetustate notabiles, exarati sint cum summa neglegentia imperitiaque. Plurimum autem faciunt ad orthographiam constituendam codices saec. IV—VII, quales extant non ita pauci. Posterioribus enim medii aevi temporibus, maxime a saeculo inde XI, accrevit continuo incuria orthographiae priscae et incorruptae.

§. 4.

De inscriptionibus.

Quod cum ita sit, felici accidit casu, ut tot *inscriptiones* aut saxo incisae aut aeri servarentur. Earum, quae usque ad finem liberae rei publicae Romanae pertineant, numerus cum sit satis exiguus, ingens prope extat multitudo ab Augusti inde tempore confectarum, et continuo quae augeatur. In eis tamen adhibendis eadem opus cautione atque in libris

scriptis: nam multas apparet aut hominum esse plebeiorum atque indoctorum aut eorum, a quibus sculperentur, culpa depravatas. Quare ex inscriptionibus maxime respiciendas apparet eas, quae publica auctoritate sint factae ab Augusti inde tempore ad Antoninorum.

Ceterum et inscriptionum optimarum et membranarum praestantissimarum testimonia ita inter se concinere solent et conspirare, ut facile intellegas neutris posse nos carere ad orthographiam Latinam constituendam. Cuius rei mirificum documentum est hoc, quod Porfyrius Optatianus, Constantino Magno aequalis, homo Latini sermonis peritus admodum, cum carminibus artificiosissimis multorum verborum, quibus utitur, scripturam apertissime declararit, locis plerisque eo utitur scribendi modo, qui et codicum et inscriptionum auctoritate adseritur.

§. 5.

De auctoritate poetarum.

Iam cum et librarios et inscriptionum auctores appareat eo magis fide dignos, quo accuratius sunt secuti auctoritatem grammaticorum saec. p. Chr. n. I, tamen ne errores oriantur, haud ita raro deserenda etiam horum placita. Satis enim constat eos, doctrinis impeditos falsis, interdum commendasse scripturas tales, quae nullo modo congruae essent pronuntiandi consuetudini. Quibus cum veteres Romani uti possent sine ullo periculo male pronuntiandi, quippe quibus nativa esset et a parentibus tradita sermonis Latini elegantia, nos, quibus cum labore ac sudore extrinsecus adsciscendae sunt magistrorum opera leges sermonis latini, a talibus scripturis omnino abstinere addecet. Exemplis rem declarabo. Etenim cum et grammaticorum doctrina et membranarum inscriptionumque auctoritate commendentur ut plurimum nominativi *dii ii*, dativi vel ablativi *diis iis*, reiciantur *di i*, *dei ei*, *dis is*, *deis eis*, num tandem his obsequemur testimoniis? At alia longe commendantur *auctoritate poetarum*, quorum usu firmatur Romanorum cultissimum quemque usum esse fere formis quae sunt *di dis i is* et aliquando sed rarissime illis

dei deis ei eis. Unde igitur abusus ille tam mirificus invaluit? Nolebant grammatici commendare formas *dei ei*, ne eadem esset in vocabulis usu tritissimis nominativi pluralis atque genetivi vel dativi singularis species, nec magis illas *di i*, ne in casu obliquo secundae syllabarum numerus esset minor quam in casu recto nominativi singularis neve confunderetur *i* cum imperativo verbi *eo.* Porro cum in codicibus antiquissimis paene semper inveniantur *semiadapertus, semiustus, semihomo* similia, cum tamen poetarum exemplis adseratur ne semel quidem pronuntiatam esse *i* in *semi*, ante vocalem vel *h* positam, apparet scribendum *semadapertus, semustus, semhomo* ac respuendam grammaticorum auctoritatem, qui falsam ideo utique probarunt scripturam, ut compositorum talium perspicua esset pars prior. Similis autem perversitatis multa grammaticorum Latinorum feruntur praecepta.

Quod cum ita sit, haud dubie reicienda grammaticorum placita, ubi certum est, quas commendent scribendi rationes diversas fuisse a pronuntiandi more Romanorum doctrina cultuque praestantium. Qui quidem qualis fuerit, facile plerumque apparet *ex scriptis poetarum*, qui soni id est euphoniae semper fuerunt studiosissimi.

Itaque ea tantum ab omni parte poterit commendari orthographiae constituendae ratio, qua efficiatur, ut quam proxime accedamus ad pronuntiandi morem eum, quo cultissimum quemque Romanorum florentissima aetate linguae Latinae usum constet.

§. 6.

De recentiorum philologorum studiis orthographiae.

Ceterum post renata saec. XV humanitatis studia orthographiae Latinae cura diu fuit perexigua, partim contemptu rei, ut nimis minutae, partim vi inertiae, quae semper officit rectiorem viam monstrantibus, partim ignorantia, cum vulgari adhiberentur usu exemplaria, in quibus scriptura verborum referret saeculi XV vel XVI morem, quo tempore in libris imprimendis homines docti id fere genus scribendi sunt secuti, quod invenitur in codicibus medii aevi recentissimis. Itaque orthographiae Latinae scientia nullo quidem tempore

prorsus fuit neglecta, sed ut esset paucorum hominum et a communi usu aliena. Quae incuria nostra demum aetate, maxime *Caroli Lachmanni* et *Friderici Ritschelii*, qui multos habuerunt sectatores, cessavit merito.

§. 7.

De litteratura Latina.

Litterarum figuras Romani a Graecis acceperunt.

Ab Augusti inde aetate hae in usu communi fuerunt litterae:

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Romani in scribendo fere usi sunt *litteris*, quas nunc vocant, *capitalibus sive quadratis.* Per medium aevum, quo facilior fieret scriptura, uti coepere vulgo *litteris minusculis vel cursivis.* Quadratae tamen adhibentur vel hodie in initio nominum proprium et in periodi principio vel orationis directae vel versuum.

G post bellum Punicum primum recepta in sermonem Latinum; pro qua antea adhibebatur *C*, quod mansit in compendiis *C.* pro *Gāĭus*, *Cn.* pro *Gnaeus.* *K* pro *c* non est in usu, nisi sequente *a*, et maxime in duobus vocabulis *Kalendae*, *Karthago; q* pro *c* non licet poni nisi sequente *u brevi cum vocali. I* et *V* cum a veteribus promiscue adhiberentur pro vocali et pro consona, recentiore tempore consonae loco adhiberi coeptae sunt *J, j*, vocalis *U, u.* Nos servata *U* vel *u* ad ambiguitatem quorundam verborum tollendam abdicabimus *J* et *j*, quae plane sunt supervacaneae.

I et *v* consonae numquam possunt recipi in Graeca, at interdum recipiuntur in barbara. Itaque pronuntiandum *iambus*, *Agaue*, contra *Judaeus*, *Vonones.*

Y et *z* (ex quibus haec fuit iam in antiquissima litteratura Romanorum, sed ut deinde omitteretur) ab Augusti tempore communi usi adhiberi sunt coeptae in vocabulis Graecis aut barbaris; *y* etiam irrepsit in pauca Latina. Nam antea pro illa plerumque *u*, pro hac *ss* vel in init. vocab. *s* adhibebantur (sicut etiam posteriore tempore interdum factum), ut *Suria*, *trapessita*, *Sethus.*

§. 8.

De Graecis in linguam Latinam receptis.

Antiquissimo iam tempore Romani a Doriensibus, quorum coloniae Italiam inferiorem et Siciliam inhabitaverant, *satis multa acceperunt vocabula Graeca:* quae nimirum omnia *dialecti Doricae* referrent proprietatem, ut *machina*, *Latona*, *Aesculapius* provenerunt ex illis *μαχανή*, *Λατώ*, *'Ασκλαπιός*.

Deinde cum *a Livii Andronici tempore* (240 a. Chr.) *imitatio scriptorum Graecorum* magis magisque increbesceret, *ex libris horum sunt translata in Latinum sermonem vocabula*, substantiva quidem permulta, adiectiva et verba perpauca. Ceterum in sermone quotidiano plura aliquanto quam in scriptis — praeter levissima, ut saturas, comoedias, epistulas — adhibebantur Graeca.

Antiquissimi Romani, ut solent facere populi rudes, vocabula peregrina Latini sermonis modulis ac sonis accommodabant. Itaque tum orta illa: *Agrigentum*, *Tarentum*, *Catina*, *machina*, *Cumae*, *Achivus*, *Argivus*, *Troia*, *Aiax*, *Maia*, *lagoena*, *epistula*, *Hecuba*, *mina*, *drachuma*, *Aesculapius*, *cygnus*, *Gnosus*, *Pollux*, *Hector*, *Hectŏris*, *Apollo*, *Apollĭnis*, alia multa, ut mittam quod *Apertam* pro *Apolline*, *Catamitum* pro *Ganymede*, *Alumentum* pro *Laomedonte*, *Melum* pro *Nilo* dixere.

Verum ab Accii tragici tempore magis magisque studuere Romani servare proprietatem Graecorum: quae aucta est cura temporibus Caesaris et Augusti, quibus etiam 'y' et 'z' litterae additae sunt sermoni Latino. Illa tamen, quae vetustissima aetate essent recepta, priscam plerumque retinuerunt formam.

Ceterum vulgus, ut est antiqui moris magis tenax, etiam post Ciceronis aetatem aliquanto plus sibi permisisse in Graecis adaptandis ori Latino et grammaticorum et inscriptionum testimoniis probatur.

§. 9.

De accentibus. De syllabis dirimendis et de interpunctione adhibenda.

Accentus, quando latine scribimus, non ponuntur. Nam quod fuere grammatici, qui dicerent interdum adhibendos eos

ad distinguenda similia, scribendumque utputa *ponè*, *modò*, *circùm*, acuta finali, ut discernantur a *pone* imperativo, *modo*, *circum* substantivis, reicienda omnino placita ista. Etenim qui tam parum ingenio valet, ut non possit nisi accentu addito distinguere adverbium a verbo vel nomine, eum omnino non oportet litteras Latinas addiscere. Ceterum plura de accentibus dicta in secunda huius libri parte, ubi de prosodia agitur. *In syllabis dividendis* veteres cum parum fuerint anxii, nunc fere hae servantur leges:

In vocabulis simplicibus consona una vel muta cum liquida semper pertinent ad syllabam sequentem, nec minus *mn*, *sc*, *sp*, *st*, ut *ma-ter*, *ni-gra*, *o-mnis*, *ve-scus*, *a-sper*, *ve-stra*. Etiam alii nexus consonarum, quibus aut quorum similibus in graeca lingua initia continentur verborum, commode possunt trahi ad syllabam sequentem, ut *a-ctus*, *Ca-smena*, *smara-gdus*, quamquam licet in his etiam sic dividi partes: *ac-tus*, *Cas-mena*, *smarag-dus*. Ubicumque aliae adsunt consonarum iuncturae, prior consona accedit syllabae priori, ut *ar-tus*, *al-ma*, *trium-phus*, *con-tra*.

In compositis vocabulis partes distinguuntur, ut *red-eo*, *inter-est*, *as-porto*. Sed si compositi pars prior est subobscura aut in fine truncata sequente vocali, syllabae ita dividuntur ut in verbis simplicibus, utputa *ani-madverto*, *po-test*, *ve-neo*. Ita etiam discernendum *quo-niam*, *e-tiam*, quia *i* in his est vocalis.

Praeterea quidam eo curae sunt progressi, ut *dihaereseos puncta* adderent vocali, ubicumque esset timendum, ne ab imperitis cum praecedente copularetur per diphthongum, scriberentque *aënus*, *poëma* sim.

Interpungendi notas communi usu non adhibuerunt veteres nisi punctum, quod quidem saepe ab eis adhibebatur non modo ad sensuum, sed etiam ad verborum fines significandos. Nos tamen in oratione Latina, quo facilius intellegatur, isdem fere interpungendi signis, quibus in nostra lingua, utimur. *Cavendum tamen*, *ne simus nimii adhibendis interpunctionibus*, quo vitio periodi Latinae pulcherrima structura evertitur eiusque quasi resecantur membra. *Itaque non ponendum*

comma ad separandum a verbo finito accusativum cum infinitivo vel ablativum absolutum, neque opus est sensus relativos, ubi participii periphrasis eis continetur et omissum est pronomen demonstrativum, includi commatis. Scribendum igitur *frustra negas crimen esse verum. Re cognita Caesar* (sive *Caesar re cognita*) *in Galliam perrexit.* Praeterea potest scribi: Eum *omnes qui norunt amant. Sedulitas autem stulte quem diligit urguet.* Praeterea ante *id quod*, si eo respicitur totum enuntiatum, ponendum comma, non post *id: Timoleon, id quod difficillimum putatur, multo patientius tulit secundam quam adversam fortunam.*

§. 10.

De assimilatione et variatione litterarum.

Euphonia linguarum magna ex parte continetur litterarum sive assimilatione sive variatione. Etenim assimilando nimis inaequalia vel inconcinna ad aequalitatem aliquam sive concinnitatem revocantur; contra variando aequalia nimis et ob id ingrata sono aut tolluntur aut mitigantur.

Quae cum ita sint, et assimilatio et variatio frequentissima apud Graecos et Romanos, ut qui vel maxime studuerint euphoniae.

Assimilationis exemplum apud Graecos et Romanos sunt praepositiones multae cum aliis orationis partibus compositae ut *ἐμβάλλω, συῤῥέω, impugno, irruo;* variationis apud Graecos *Βάκχος, Σαπφώ, Πιτθεύς*, ubi prior aspirata mutata est in tenuem, apud Romanos *Gracchus* pro *Grachchus, meridies* pro *mediidies, asporto* pro *absporto, stipendium* pro *stipipendium.*

Assimilationis ex lege evenit in oratione Latina, ut scriberetur aut certe pronuntiaretur *tenuis ante tenuem, media ante mediam*, ut *optineo, supter, abduco.* Simili causa institutum illud, ut *n sequente b* vel *p* fieret *m*, contra *m* non toleraretur ante gutturalem, *n sequente gutturali* paene sonaret ut *g.* Praeterea *geminatio consonarum* plerumque assimilationis temperatur lege, ut *arrideo* pro *adrideo.*

Assimilationis ex lege etiam orta *allitteratio et homoeo-*

teleuton, quae plurimum sunt adhibita sermone Latino, et vel nunc possunt adhiberi, sed caute. Nam rursus *variationis lege* vetatur, ne nimis saepe recurrant, ut apud Ennium: *o Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti* vel apud Lucretium: *naufragiis magnis multisque coortis.*

Contra contractionis ac synizesis et elisionis Graecae Latinaeque leges ortae *ex studio variandi vel tollendi vocales* in syllabarum sive verborum fine positas sequente vocali.

Ceterum notandum in omnibus linguis orationis partes, quo sint usu frequentiores, eo magis esse aptas ad mutationes quaslibet; composita autem eo plures subire vicissitudines, quo magis simplicia, unde ducuntur, aut inusitata sunt aut obscura.

§. 11.

De vocalibus et diphthongis.

Vocales ipsa natura sua faciliores sunt ad mutationes quaslibet quam consonae.

Ă per compositionem plerumque mutatur in *ĭ*, *ĕ*, *ŭ*, ut *infĭcio, obtrĕcto, incŭlco; ĕ* in *ĭ* ut *optĭneo.*

Pro *ŭ* sequente una consona saepe a Ciceronis inde tempore substituta *ĭ*, ut *alĭmentum* pro *alŭmentum, aestĭmo, optĭmus, obstĭpesco* pro *aestŭmo, optŭmus, obstŭpesco.*

Eadem *ŭ* post *q* semper, post *g* et *s* saepe similis fit consonae *v*. Tali condicione fuit sono tenui admodum, unde pro *qu* interdum ponitur *c*, maxime sequente *u*, ut *cotidie, secuntur, ecus;* post *g* vel *s* omittitur *u*, ut *urgueo, urgeo, suavium, savium.*

Praeterea de *i* et *u* et *y* dictum § 7.

Ex diphthongis optima aetate prosae usu tantum servatae eae, quarum posterior pars esset *e* vel *u* (exceptis pronominibus, particulis, interiectionibus paucissimis, quae habent *ei, oi, ui,* ut *ei mihi, deinde, quoi, cui, huic),* et quidem tales: *ae, oe, au, eu.* — Praeterea *yi* servatur in Graecis, ut *Harpyia, Ilithyia.*

Pro *ae* ipsi Romani interdum adhibuerunt *ē:* quod tamen ab urbanitate fere fuit alienum, ut etiam magis multo *ē* posita pro *oe.* In compositis *ae* fere transit in *ī.*

Ae sonabat ut *η* Graecorum. Ex *oe* interdum orta *u*, ut *moenera, munera, poena, punio, Poeni, Punicus.* *O* factum ex *oe* in *non*, quod antiquitus fuit *noenum, noenŭ.* Praeterea ex *λάγυνος* factum *lagoena, lagona.*

Pro *au* interdum invenitur *o*, ut *caudex, codex, plaudo, plodo*, vel *u*, ut *claudo, cludo.* Sermone plebeio pro *au* interdum posita *a*, ut *Agustus, tarus.*

Eu in Graecis servatur. Pronuntiandum igitur *Orpheus, Peleus*, non *Orphĕŭs, Pelĕŭs.*

Pro *ει* Graeca modo *ē* adhibetur, modo *ī*. Ante consonam tamen ponitur *ī*, ut *Nilus*, quamquam invenitur aliquando *Polyclētus, ēdyllium.*

§. 12.

De vocalium concursu.

Displicet vocalium concursus in vocabulo simplici, et quidem magis, si utraque brevis est.

Talis hiatus quo molestior est, et plura et fortiora remedia ad tollendum illum vel mitigandum adhiberi par est.

Pessime oderant Romani vocalium concursum earundem, imprimis coniunctas *aa, ee, oo,* minus *ii, uu* (aut *ji, vu*).

Omnino *a* vel *o* *iunctae cum vocali qualibet insequente a Rômanis vix adhibentur* praeter paucula vel nomina propria vel composita.

Quae cum ita essent, ad Propertium et Ovidium usque in *genetivis substantivorum* in *ius, -ium* exeuntium unum *i* et scribebant et pronuntiabant, ut *Tulli, consili.*

Postea scribere coeperunt et pronuntiare *Tullii, consilii,* sicut nos facimus, ut tamen et brevior forma maneret. Similiter veteres scribebant in genetivo sing. et nom. et dat. plur. verborum in *aius, aia, aium, eius, eia, eium* exeuntium *Gai, Pompei, Bais, Mais, Pompeis;* sed potest etiam secundum analogiam poni duplex *i*, ut *Gaii, Baiis* sim.

In praeteritis, quae habent *ivi*, si omissa sit *v*, quando sequitur *i*, contractionem fieri melius est praeter perf. indic. primam et tertiam sing. et primam pluralis pers., ut *petisti, petisse,* contra *petii, petiit, petiimus.*

Pro *uu, vu* ad Ciceronis usque aetatem dicebant scribebantque *uo, vo,* ut *adsiduom, servom, volgus, equom.* Et *vo* pro *vu* praeter finales ne primo quidem p. Chr. saeculo fuit infrequens. Ac maxime quidem antiquus mos scribendi in nominibus mansit propriis, ut solet fieri.

Pro *quu* etiam ponitur *cu,* ut *ecum.* Ita semper *cum;* et in verbis scribitur melius *relincunt, secuntur, locuntur, secutus, locutus.*

Magis omni tempore placuerunt Romanis iuncturae vocalium hac: *iu, ju, ui, vi, ie, je, ue, ve* et maxime *ea, ei, eo, eu, ia, io, ja, jo, ua, uo, va, vo.*

Ceterum cf. summ. rei metricae § 27 p. 55.

Magis etiam quam in verbo simplici in media parte compositorum est molestus hiatus vocalium concurrentium, sed ut isdem plane legibus soni temperetur atque in verbo simplici. Unde ad eum tollendum Romani persaepe usi sunt aut *ecthlipsi,* ut dixerunt *unanimus, semhomo, sesqualter, biŭgus* pro *unianimus, semihomo, sesquialter, biiugus,* aut *contractione,* velut *bigae* pro *biiugae,* aut *synizesi,* ut *deinde* pro *deinde.*

Omnium molestissimus est *vocalium in fine prioris verbi et initio sequentis concursus;* qui ubi fit, praecedens vocalis liquefacta coniungitur quadamtenus cum insequente, ut tamen non omnino eximatur ex metro praeter encliticas *que, ve, ne.*

Durior concursus vocalium, si vel finalis sit longa aut in 'm' exiens vel initialis accentu notata sive brevis, facilior, si eaedem sono ant certe quantitate coeant vocales.

Omnino conferenda ea, quae de vocalium concursu dicta sunt pgg. 53—66 summarii metricae Latinae.

Ceterum quo longius aetate progressi sunt sermo Graecus et Latinus, eo magis hiatus vocalium concurrentium facti sunt patientes, perinde atque in linguis recentibus eius cura plerumque invenitur perexigua.

§. 13.

De syncope et epenthesi.

Syncope fit extrusa vocali brevi, quae inter duas est consonas. Haec quia a gravitate Romana videbatur esse aliena,

in prosa urbana eius perexiguus fuit usus; quamquam interdum difficilius est iudicium de ea propter codicum incerta aut corrupta testimonia: *magis aliquanto optinuit apud poetas,* quos metri tenet necessitas, *maxime quidem* apud eos, qui aut antiquissima fuerunt aetate aut recentissima, aut communis vitae sermonem sunt imitati *ut satirici et comici.*

Etiam in prosa inveniuntur, ut omittam nota volgo *iurgo, purgo* (pro *iurigo, purigo*), *pergo, surgo, assecla, disciplina, dextra, dextrum, quadriduum, postridie, altrinsecus, infra, supra, extra, valde, audacter,* talia, qualia sunt *calfacere, olfacere, misertus, lamna, lardum, tegmen, hercle, mehercle,* et in *-clum* exeuntia *oraclum, periclum, saeclum, spectaclum, vinclum,* sicut et *nomenclator.*

Alia multa exempla, ex poetis petita illa, habes d. r. m. 366.

Syncope illa quae fit in verbis in *-si, -xi* exeuntibus sequente *s,* ut *evasse, erepse, extinxe,* aliena est a prosa bona, excepto quod *ausim, ausis, ausit, ausint* interdum inveniuntur, praeterea in oratione infecta fuco antiquitatis *faxo, faxim et quae ab his descendunt.* In poesi talibus, qualia sunt *evasse, extinxe* usi sunt *Vergilius, Horatius in hexametris,* Propertius, non Tibullus aut *Ovidius;* et disyllaba *faxo, faxim, ausim, faxis, ausis, faxit, ausit, faxint, ausint* interdum inveniuntur in versibus. Contra Romani, antiquissimi maxime et recentissimi, interdum consonis Graecis, quarum esset iunctura insolita auri Latinae, interposuerunt vocales maxime *ĭ, ŭ,* raro *ă, ĕ, ŏ,* ut *cycinus, Alcumaeo.* Cuius rei exempla etiam in prosam recepta sunt *mina* pro *μνᾶ, Aesculapius* pro *Ἀσκληπιός.*

§. 14.

De consonis.

Quaedam de consonis iunctis dicta supra, §. 10.

De b et p.

B non solet poni ante *f.* Itaque scribendum *afui,* non *abfui, offui,* non *obfui, sim.* Sequente *s* vel *t* sonat *p,* ut in *urbs, obstipesco, obtineo.* In perfectis et supinis verborum etiam scribi debet *p,* ut *scripsi, scriptum, nupsi, nuptum.*

Praeterea inter *m* et *s* vel *t* saepe interponitur *p* euphoniae causa ut *dempsi, demptum, Ampsanctus, hiemps.* Ita etiam *tempto* pro *tento.*

B et *v* interdum permutantur, ut *ferveo, ferbui.*

De c et t.

Nos medii aevi secuti usum pro *c* sequente *e, i, y, ae, oe* efferimus *z,* ut *zi* pro *tĭ* sequente *vocali,* exceptis *Graecis* vel quando praecedunt *s, t, x* ut *Miltiades, ostium, Bruttium, mixtio.* Neque hoc vitium iam potest evelli. Scribendo tamen semper adhibendae *c* et *t.* Praeterea accurate pernoscendum, quando *ci* poni oporteat, quando *ti.*

C aliquando euphoniae causa inculcatur inter *n* et *t,* ut in *Quinctilis, Quinctilius.*

C sequente *n* in graecis fit *g* in *Gnidus, Gnosus, cygnus.*

De d et t.

D in fine vocabuli sonat quasi *t.*

In verborum tertia persona semper scribendum *t.* Pronominum finalis melius adhibetur *d,* ut *id, quid, quod,* praeter *quot* (*skolko, wieviel*) et ea quae inde descendunt. Praepositiones habent potius *d,* coniunctiones *t* praeter *sed* et *quod.*

Pro *haud* et *haut* invenitur ante consonas *hau.*

De g.

G in initio verborum sequente *n* plerumque omittitur ut *nascor, nosco, nubo, narus, navus.*

G interdum euphoniae fit causa ex *c,* ut *neglego, cygnus.*

De h.

H non est littera, sed spiritus. Inde quae ab *h* incipiunt verba vel syllabae putantur a vocali incipere.

H spiritus *in initio multorum verborum* tam exiguo fuit sono, ut ipsi Romani dubitarent, utrum addendus esset necne, ut in *harena, honus, have.* In *mediis verbis,* ubi paullo fortius sonabat, saepe additur ad mitigandum hiatum, ut in *ahenus, Phrahates. In fine verborum* non debet poni.

De f, ch, ph, th, rh.

Aspiratae *ch*, *ph*, *th*, *rh* ab a. fere 130 a. Chr. sunt receptae: ante Romani consonis non adspirabant. — Differt quippe satis multum Romanorum *f* (quod pronuntiatur ut Russorum et Germanorum littera eadem) a Graeco *φ*, quod nihil est nisi *p* cum spiritu. Itaque ante *f* poni debet *n*, non *m*.

Aspiratarum tamen in *Latinis* vocabulis semper exiguus fuit usus. *Ph* et *rh* praeter illa *limpha*, *triumphus*, *sulphur* tantum receptae in vocabula Graeca vel barbara, ut *Philippus*, *Rhenus*; *ch*, *th* nonnumquam etiam in Latina; ut *pulcher*, *sepulchrum*, *Otho*. Pro Graecorum *ῤῥ* Latine potest scribi sive *rr* sive *rrh*.

Consonae aspiratae non geminantur.

Interdum *h* per errorem a Romanis etiam additur in Graecis litteris quae sunt *c*, *p*, *t*, ut *Riphaeus*, *Bosphorus*.

De k.

Conf. §. 7.

De l.

L praecedente longa saepe duplicatur, ut *querella*. Contra sequente *i*, quae non sit finalis declinationis vel coniugationis, saepe altera *l* subducitur, ut *mille*, *milia*, *Messalla*, *Messalina*.

De m.

M sequente *d* vel *t* semper mutatur in *n*, ut *quendam*.

Sequente *c* item transit in *n*, plerumque etiam ante *q*, ut tamen saepius scribatur *m*, ut *quicumque*, *umquam*, *quemquam*, *namque*. Ita *tunc* factum ex *tumce*; et *tum cum* pronuntiatur *tuncum* (d. r. m. 239).

m in fine vocabuli parum sonat, ut in francogallico *nom*. Ideo insequente vocali elisioni non obstat.

De n.

N omittitur ante *gn* et interdum ante *c*, ut *ignosco*, *nactus*.

N praecedente longa et sequente *s* minus audiebatur. Itaque interdum omittitur, ut *semestris* pro *semenstris*, *decies* pro *deciens*, *toties* pro *totiens*. Nam quod dicunt nonnulli

grammatici veteres in *totiens, quotiens, aliquotiens* servandum *n*, contra abiciendum in eis quae a cardinalibus numeris descendunt ut *decies*, merae nugae, cum in illis propter frequentiam usus multo magis oportuerit omitti *n*. Interdum tamen inculcatur ibidem, ut *thensaurus* pro *thesaurus*, *formonsus* pro *formosus*.

De q.

Cf. §. 7.

De r.

Antiquissimi Romani in mediis vocabulis pro *r* saepe ponebant *s* ut *Fusius, Valesius.* Id mansit in finalibus nonnullorum, quae in *or* exeant, dissyllaborum paenultima brevi, ut *lĕpos*, et feminini *arbos*.

R sequente *s* interdum assimilatur vel delitescit, ut *russum, Sassina, rūsum*. Ita *prōsa* dicitur *r* omissa.

De s.

S in initio verbi vel addita ante sive post consona (praeter *ns*) pronuntiatur fere ut Rossicum *c*, Germanicum *ss*. Etiam praeeunte vocali longa interdum aetate optima duplicabant *s*, ut ipse Cicero scripsit *caussam*. Alioqui, si inter duas vocalis sit posita, vel praecedente *n* pronuntiatur, ut francogallicum *z*. In fine minus audiebatur.

De x.

X litteram quando sequitur *s*, haec non exauditur et melius omittitur, ut *exequor, extiti*.

De z.

Cf. §. 7.

§. 15.

De assimilatione praepositionum.

Quod supra dixi Romanos saepe non eodem modo pronuntiasse atque scripsisse, id maxime in praepositionibus compositis apparet. Nam satis constat, etiam ibi saepe eas assimilatas pronuntiando, ubi scribendo assimilatio aut numquam aut certe non semper exprimeretur. Sed haec ex eis, quae de assimilatione sunt dicta, facile poterunt suppleri. *Ceterum eo magis assimilatio reddita est scribendo, quo usitatius*

esset vocabulum aut si origo eius esset subobscura, ut imperator, agger, collega, appellare, imbuo, immŏlo.

I.

Ad fit *ac* sequente *c* vel *q*, ut tamen ante *q* etiam maneat *ad;* ante *g* ponitur sive *d* sive *g*, ut tamen semper scribatur *agger*, et quae inde descendunt, ut *aggerare.* Ante *gn* vel *s* impuram modo scribitur, modo omittitur, ut *agnosco, adgnosco, aspicio, adspicio.* Ante liquidas et *f, p* et *s* purum servatur, ut tamen etiam possit assimilari (quod quidem in *p* fit persaepe) excepta *m*, ubi id rarum. Ante *t* assimilatur.

Ante fit *anti* in *antisto, antistes, anticipo.*

Circum sequente vocali amittit *m*, ut *circuago, circuitus.*

Inter manet immutatum praeter *intellego* et quae ab eo descendunt.

Ob assimilatur sequente *c, f, g, p.* Ante *s* vel *t* potest transire in *op*, ut *opstipesco, optineo. Obs* apparet in *obsolesco, obscenus, ostendo. B* omittitur in illis quae sunt *ŏmitto, ŏperio.*

Per manet, excepto quod sequente *l* ex *r* potest fieri *l*, ut *pellucidus*, et interdum *r* ante *i* consonam omittitur.

Trans fit saepe *tra* ante *i* consonam, *d, l, m, n*, ut *traicio, traduco, tralatus, tramitto, tranato*, quamquam et pleniori formae locus. — Sequente *s* omittitur ut *transilio, transcribo.*

II.

A ponitur ante *m, v*, interdum ante *f*, ut *afui, afore; abs* ante *c, q, t*, et omissa *b* ante *p*, ut *aspello, asporto; bs* abiecta, ut Corsseno placet, in *ăperio; au* ante *f* in *fero, fugio; ab* ante reliquas litteras.

Com (pro *cum*) ponitur ante *b, p, m; con* ante consonas praeter *gn; co* ante vocales et *h* (exceptis illis *comedo, comes, comitium* et quae ab his descendunt) nec minus ante *gn* ut *cognosco*, et interdum ante *i* consonam, ut *coiugo* invenitur pro *coniugo.*

Pro *con* sequente *l* vel *r* per assimilationem solet poni *col* vel *cor.* Contra etiam invenitur interdum *con* ante *b, m, p.* Interdum *co* cum vocali sequente contrahitur. Ita semper

dicitur *cōgo (coigo)* et aliquando *cōperio, cōlesco (cooperio, coalesco)*. Sequente *gn* saepe omittitur *g* ut *cōnecto, cōnitor, cōniveo, cōnubium.*

Ex ponitur ante vocalis et *h* et *c, p, t, q, s* praeter *escendo, epoto.* Sequens *s* melius omittitur ut *exequor.* *Ef* ponitur ante *f* (pro quo interdum scribitur ἀρχαϊκῶς *ec,* ut *ecfari*); *e* ante reliquas consonas, praeter *exlex.*

III.

In sequente *l, m, r, b, p* melius assimilatur; quód quidem paene semper fit in illis *impero, imperium, imperator.*

Ante *gn* omittitur, quando est adverbium negantis, ut *ignosco, ignotus, ignarus, ignavus;* contra quando est praepositio, *g* omittitur ut *innotesco, innatus.*

Sub, ut *ob,* sequentibus *c, f, g, p* assimilatur, interdum etiam ante *m, r,* ut *submitto, summitto, subripio, surripio.* *Subs* habes in *subscus* et omissa *b,* ut in *abs* et *obs,* interdum sequente *c, p, t,* ut *suscipio, suspendo, sustineo.* *Su* pro *sub* ante *sp,* ut *suspicio, suspiro.*

Sub quando imminuit significationem vocabuli, ut in *subrideo, subrusticus,* non videtur fere mutari.

IV.

Amb ante vocales, *am* ante *p, an* ante *c, q, f.*

Dī ante plerasque consonas et *s* impurum, et ante *i* consonam in *diiudico.* *Dis* ante *c, p, t, q* et *s* purum, ut *dissero* (ex quo factum *dĭsertus),* plerumque etiam sequente *i* consona. *Dif* ante *f.* Quando verbum a vocali vel *h* incipit, fit *dĭr,* ut *dĭrimo, dĭribeo* pro *dirhibeo.*

Rĕd amittit *d* sequente consona praeter *reddo* et ea quae sunt *reppĕri, reppŭli, rettŭli, rettŭdi, reccĭdo, reccĭdi,* ubi vides factam allitterationem. Poetarum sunt reliqua, ut *redduco, rellicuus, relligio.*

Sē fit *sō* in *socors, sobrius;* antiquiorem formam *sēd* retinet *sēditio.*

II.
DE PROSODIA LATINA.

§. 16.

De syllaba.

Omnis syllaba certum habet tempus vel moram. Itaque aut *brevis* est aut *longa* (quasi ex duplicata brevi ut constet) aut *communis* vel, ut nunc dicitur, *anceps*. In prosa tamen communes syllabae admodum rarae.

Longa syllaba hoc signo indicatur –, *brevis* tali ⏑, *anceps* utroque ⏓.

Antiquissimi Romani et quidam aetatis posterioris saepe pro longa *i* ponebant *ei*, pro reliquis vocalibus longis *vocales duplices*, ut *aaram*. Ceterum ad vocalem longam quamlibet significandam in inscriptionibus saepe adhibetur *apex*, qui accentus acuti habet formam, et pro *i* longa *i* porrecta ut 'svIs'.

Syllabarum quantitas aut *ratione*, quam analogiam vocant Graeci, aut *auctoritate* cognoscitur. *Auctoritas* summa est *poetarum*, maxime eorum qui fuere *a Lucretio Catulloque et Vergilio usque ad Iuvenalem.* Praeterea observanda *grammaticorum et inscriptionum testimonia.*

In *m* exeuntes finales fuerunt breves, ita quidem ut *m* non exempta, sed obscurata novum quendam sonum redderet, ut in vocabulo Francogallico *nom*. Itaque in *m* exeuntes possunt quasi mediae haberi inter breves et longas.

Cum longae duarum brevium sint instar, non potest esse mirum *et diphthongos et vocales contractas semper esse longas.*

Graeca in Latinum sermonem translata propriam paene semper servant quantitatem, exceptis eis quae antiquissimo tempore sunt recepta, ut *crĕpĭda* (κρηπῖδα), *Apollĭnis* (Ἀπόλλωνος).

Item barbara vocabula, quae ex Graeca lingua accesserunt Latinae, plerumque servant Graecae linguae quantitatem. Alia, ut *Afra, Celtica,* nonnumquam habentur liberius.

Ceterum communi fit lege linguarum, ut longae potius syllabae corripiantur quam producantur breves.

§. 17.

De syllabis positionis vi productis.

Quomodo poetae usi sint vocalibus duarum aut plurium consonarum subsequentium vi productis, expositum summario metricae Latinae pgg. 74—77.

De *h* spiritu et *i* consona dictum in indice.

Si *vocalis in fine verbi* brevis excipitur duabus aut pluribus consonis aut si *finalis in consonam exiens brevis* excipitur consona, pronuntiando tamen retinetur finalis brevis, ut *magnă spes, placĕt consilium.*

Si *in medio verbo* brevis paenultima excipitur duabus consonis, quae non sint muta cum liquida praeter *gn*, quantum ad accentum, habetur longae instar. Itaque pronuntiandum *permágnus, corúscus, terréstris.* Alioqui caret accentu, ut *ténĕbrae, pérĕgre.*

Omnino muta cum liquida praeter *gn* semper servat *brevem* praecedentem. Contra non est dubium, in derivatis si muta cum liquida accedat ad vocalem longam, eam debere produci ut *orā-clum, arā-trum, lavā-brum* (contractum in *lābrum*), *dclū-brum, involū-crum.* Ita *lavā-trina,* unde fit *lātrina.*

Quaeritur iam, vocalis positione longa quando pronuntiando debeat produci. De qua re difficillima (nam ipsi Romani in hac parte non semper fuere constantes) nuper egregie egit Guilelmus Schmitzius Coloniensis, testimoniis usus ille partim Latinis, partim Graecis. Ex huius igitur maxime opere (cui inscriptum est „Beiträge zur Lateinischen Sprach- und Litteraturkunde") quae gravissima esse viderentur, excerpsimus.

Ad rem diiudicandam primum facit analogia sermonis Latini vel Graeci, deinde Plauti et Terentii placita quaedam, ad prosodiam quae pertineant, tum grammaticorum et inscriptionum testimonia, denique vocabula Latina apud auctores Graecos occurrentia.

Veluti apparet dicendum *plēbs, thorāx* propter *plēbis, thorācis,* contra *adĕps, nŭx* propter *adĭpis, nŭcis, vĭrgo, vĭrtus,* propter *vĭr, opĕrculum* propter *opĕrire, ătque* propter *ăd, ăst,* propter *ăt, nŏx* propter νύξ, νυκτός, *ĕst, ĕstis* propter ἐστίν,

ἐστέ, *Ăgrigentum* propter *'Ακράγας*, contra *nōsco* propter *γιγνώσκω*.

Porro scaenicorum probatur usu in vocabulis quibusdam, maxime talibus, quae communis vitae tererentur usu, ut *ille, iste, ipse, ecce, immo, nempe*, brevem pronuntiandam syllabam, quae positione fit longa, quippe quae ab illis corripitur.

Praeterea optimi temporis placita in pronuntiandis syllabis positione longis videntur fuisse fere haec:

Longa pronuntiando effertur utique syllaba contractione orta quaelibet, ut *Mārs, Mārtis* (ex *Mavors, Mavortis*), *quōrsum* (ex *quoversum*), *rūrsum, prōrsus, sūrsum, intrōrsus, audīsti, flēsse, nōsti, ēst* pro *edit, ēsse* pro *edere*. At syncope facta vel ecthlipsi non opus est vocalem praecedentem produci, id quod docent *discĭplina, sŭpra, nŭcleus, ŏportet* al. (cf. d. r. m. 315). Neque potest demonstrari produci vocalem, si ex tribus subsequentibus consonis una subducatur.

Deinde *s*, quando praecedit *n*, ubique longum efficit vocalis sonum, ut *cōnsul, formōnsus, cēnsus, amāns, mōns, fōns, demēns, Atheniēnsis, Arrūns, tūnsum, trāns* (ita *pōno* factum ex *pōsno, pŏsino*); contra brevem *t* vel *d*, ut *amănt, fĕrŭnt, monĕnt, amăntis, clemĕntis, Arrŭntis, ferĕntarius, Calĕndae, ĭndoctus, ĭnter, ĭntra, ĭntutus*.

Brevis etiam vocalis prior in finalibus *-ĕstus, -ĕster, -ĕstis, -ĕstris, -ĕstre, -ĕsticus, -ĕstinus, -ŭstus*, ut *modĕstus, silvĕster, agrĕstis, domĕsticus, clandĕstinus, venŭstus*, excepto quando hae descendunt a verbis, quae habeant vocalem ante *s* positam longam, ut *iūstus, fāstus*, quia repetenda sunt a *iūs, fās*, ut *fēstus* pro *fēnstus*.

Longa *n* sequente *f*, ut *cōnfluo, īnfelix*.

Longa etiam vocalis sequente *-gnus, -gna, -gnum* et, nisi fallor, optima aetate omnino ante *gn*, ut *māgnus, āgna, sīgnum, āgnosco*, unde etiam longa *o* in *cōnubium, cōnecto, cōniveo, cōnitor*, ubi excidit *g*.

Verba in *asco, esco* habent paenultimam longam, item in *isco* exeuntia, si descendunt a verbis quartae coniug., ut *labāsco, pallēsco, obdormīsco*, brevem, si proveniunt a verbis tertiae, ut *ingemĭsco*.

In supinis et quae ab eis descendunt sequente consona cum *t* non constat certa quantitas. Nam dixere veteres teste Gellio IX, 6 *ūnctum, āctum, lēctum, scrīptum,* sed idem *dĭctum, vĕctum, gĕstum, răptum, căptum, făctum.*

Ubi geminatur consona in vocabulo, aliquanto saepius videtur fuisse vocalis brevis, quam longa, maxime cum in verbo, unde descenderet illud, esset brevis, ut *puĕlla* propter *puĕra.* Unde interdum subtracta consona priore brevis manet vocalis, ut *ŏportet, Porsĕna* pro *opportet, Porsenna.* Contra longa fuit in *querēlla, loquēlla, luēlla,* in *mīlle* propter *mīlia,* in *nārro* propter *nārus.*

Praeterea notandum ex testimoniis sive Romanorum sive Graecorum apparere longam fuisse primam in *mārceo, Mārcus, Mārcellus* sim., *ōrdo, līctor, quīnque, quīntus* sim., *prīscus, crīspus, pāstor, trīstis, exīstimo (aestimo), ōsculum, ōsculor (ausculor), māximus, vēxillum,* brevem in *Vĕrgilius, Vĕrginius, vĕrgo.*

Praepositiones in consonam exeuntes praeter exceptiones, quas dixi, videntur retinuisse brevem finalem, ut *ĭnfra, ăbsque, ădmonitus, ăbreptus, intĕrmitto.*

Ceterum Romani per temporis decursum multas vocales *positione longas* coeperunt pronuntiando reddere *breves, numquam* autem tali condicione *longas* substituerunt *brevibus.*

§. 18.

De accentu praeter enclisin et proclisin.

De *accentu* multa perversa sunt prolata a grammaticis antiquis, cum partim Graecorum modum pronuntiandi nimis curarent, partim anxie laborarent in vocabulis eiusdem scripturae, sed diversae significationis, accentus diversitate distinguendis (ut in omnibus linguis facere solent litterati homines idemque morosi). Auctum id vitium a saec. inde p. Chr. III, cum sermo Latinus in barbariem vergens magis magisque senesceret.

Neque potest dubitari, quin grammaticorum praeceptis perversis vel florentissimo tempore quidam Romanorum sint decepti, pronuntiationem rectam ut corrumperent. Plures tamen multo ab ineptiis istis cavisse est probabile.

Ceterum vel nostris temporibus pleraque ineptissima prolata de accentu Latino.

Accentus in poesi Graeca et Latina quamvis non modo cura esset nulla, sed prima adeo lex discrepantia quantum posset fieri maxima accentus grammatici et ictus metrici tamen numeri versuum Latinorum, de quibus dixi in Cap. III summarii metricae Latinae, probe perspecti conferunt aliquid ad accentus linguae Romanorum cognoscendos. Plura de eis docemur elisionis Latinae modulis, de quibus est dictum Cap. IV summ. metr. Lat.

Itaque quae his promuntur, maximam partem petita sunt ex lectione poetarum, perinde Plauti Terentiique atque dactylicorum.

Legis accentus Latini videntur fere fuisse hae:

Accentus in syllaba, cui adest, plenius sonat et fortius, si aut longa sit natura aut constet certe vocali sive *a* sive *o* sive *u*.

Syllaba accentu carens eo plenius sonat ac minus delitescit, si vocalis sit aut longa natura aut utique *a* vel *o* vel *u*.

Hinc non est mirum, quod adeo vocales quae accentum habent possunt absorberi per syncopen, ut dicitur *traxe* pro *traxísse, evassem* pro *evasíssem, surpite* pro *surrípite, valdius* pro *valídius.*

Antiquissimo tempore ac rudi etiamtum lingua non est improbabile duobus solum accentibus, *acuto* et *gravi*, usos Romanos. Sed per saeculum primum ante Christum et post Christum quin etiam circumflexo, qui oritur coniunctis acuto et gravi, usi sint plane sicut Graeci non potest dubitari.

Acutus in tribus ultimis invenitur syllabis, circumflexus in duabus, gravis tantum in ultima.

Nullum vocabulum Latinum quod sit plus quam monosyllabum habet accentum in ultima. Unde apparet quam falso vulgo dicatur *necné* pro *necně.*

Oxytona sunt monosyllaba brevia aut positione producta, quae possunt flecti, exceptis pronominibus praeter *quí* et *quís* interrogativa, ut *dém, stém, fáx, ós (ossis).*

Paroxytona sunt omnia vocabula dissyllaba quorum aut ultima longa aut paenultima brevis vel positione longa est, ut *uni, meus, multus,* et plus quam disyllaba, quorum paenultima aut natura longa est aut positione (nisi ea sit muta cum liquida praeter *gn*), exceptis eis quae debent esse properispomena, ut *immánes, incértus, impúgno.*

Proparoxytona sunt vocabula plus quam disyllaba omniă, quae habent brevem paenultimam aut una sequente consona aut muta cum liquida praeter *gn,* ut *máximus, ténebrae.*

Gravem habent monosyllaba pronomina praeter interrogativa *qui, quis,* praepositiones, coniunctiones, denique adverbia usitatissima quaeque, maxime ea quae a pronominibus descendunt, ut *hoc, is, id, qui* (relat.), *ab, ad, in, et, aut, at, vel, hic, huc, hinc, haud, non, tum, iam;* praeterea *atque,* quando finalis eliditur. Adverbia, minus usitata ut *mox, vix* habere gravem potius quam acutum non potest comprobari.

Perispomena sunt omnia monosyllaba natura longa quae possunt flecti ut môs, lûx, ôs, oris, dô, stô.

Properispomena sunt plus quam monosyllaba, quorum prior paenultima natura aut utique pronuntiatione longa, ultima brevis est aut etiam, ut puto, si haec sit producta insequente *bs, ps, rs, x,* sed pronuntiatione brevis, ut *Caêsar, ûnus, Románus, vînum, cônsul, caêlebs, cônsors, paêlex.*

§. 19.

Nullum verbum latinum habet plus quam unum accentum principalem, sive is acutus fuerit sive gravis sive circumflexus.

Fuere qui dicerent in compositis, quae descendunt a *facio* servata *a,* praeter supinum et quae ab eo veniunt duobus accentibus usos Romanos, ut dicerent *óbstupefít, cándefáciam,* quasi *discretis partibus.* Sed multo probabilius est etiam in his solitum accentum esse servandum pronuntiandumque *caléfacit, líquĕfit* vel *liquēfit* sim. Nam si aliter res haberet, vix posset explicari, cur tmesi in his verbis tam raro et deteriores solum auctores usi sint, et qui potuerit syncope fieri, ut in *calfacere, olfacere.*

Verum *ex elisionis rationibus* apparet *verba quattuor aut*

plurimum syllabarum, si ante syllabam, quae habet accentum, esset mensura trochaica, spondiaca, dactylica et, ut puto, cretica, in prima talis pedis syllaba etiam habuisse accentum quendam, minorem illum utique principali, sed proximum, ut

ìmbuísse, incògitábitis còndemnâvit, indèfessôrum, ìmperitávimus, perhórruerâtis, èxpetēbâtis, recòndidissêtis.

Neque abhorret a probabilitate, si praecederet syllabae, quae haberet tonum, tribrachus vel anapaestus, etiam in talis pedis syllaba prima fuisse accentum illum ut:

rèpeterêtis, expètierâtis, rèpetēbátis, sollìcitābántur;

sed non, si praecederet iambus vel pyrrichius, ut

pĕtēbâmus, răpŭísset.

Ex syllabis post accentum positis minus sonat ultima in properispomenis et paroxytonis paenultima longa, quam in proparoxytonis et disyllabis iambicis. In proparoxytonorum ultima, certe si longa esset, videtur etiam fuisse accentus talis, qualem memoravi adesse trochaicis pedibus et similibus, ante syllabam, quae habet accentum, positis, ut

máximì, fácilès, dìfficíllimìs, sòllicitátiò.

§. 20.

Quod cum ita sit, non ex accentus rationibus est explicandum, quod ex finalibus verborum plus quam monosyllaborum maxime correptae sunt a Romanis iambicorum, ut *citŏ, putŏ, homŏ*, sed ex frequentia usus quotidiani. *Nam quo breviora sunt vocabula, et quo pauciores habent moras, eo magis fuerunt usitata apud Romanos, id quod perinde solet evenire apud omnes populos.* Itaque post *monosyllaba* et *pyrrichiaca* frequentissima fuerunt *iambica.*

In Graecis autem nonnulli Romanorum eo curae sunt progressi, ut servarent accentus Graecos. Sed id plures recto iudicio sunt aspernati, cum in illis plane isdem uterentur accentibus atque in Latinis.

§. 21.

De enclisi et proclisi.

Apud Romanos pro gravitate sermonis Latini *enclisis* usus fuit exiguus, *proclisis* vix ullus. Encliticae fuerunt apud

Romanos praeter eas, quae ad pronomina vel adverbia accedunt, ut *tute, vosmet, hosce, que ve ne,* monosyllabae formae pronominis indefiniti *quis,* et adverbia *qua quo,* si coirent cum illis *si nisi num ne cum* et, ut puto, cum praecedente monosyllabo pronomine relativo vel interrogativo ut: *quo quis maior, eo magis in lubrico.* Denique semper *nesciŏ* verbum cum monosyllabis formis pronominis *quis* coit in unum, ut *nescĭŏquis, nescĭŏquam.* Praeterea inclinantur accusativi *me, te, se, nos, vos,* si iunguntur cum praepositionibus quae habent suffixum *ter* vel *tra,* ut *intrásē, praetérnos* et, quod omnium frequentissimum, *intérse.* Denique *potest* inclinari forma *est,* indicativi praesentis verbi substantivi, interdum etiam inclinantur *sum, es, sunt, sim, sis, sint,* si praecedat aut monosyllabum aut vocabulum trochaicum vel disyllabum pyrrichiacum vel tribrachus, ita quidem ut paenultima maneat brevis, ut *rex est, heluatus est, ferus est, multa sunt, ita sunt, terribilis est.*

Quantum ad accentum mutatum per enclisin, manet accentus in monosyllabis quae acutum habent aut circumflexum; ex eis quae habent gravem enclisi facta fiunt paroxytona, ut *ísque.* — Paroxytona et properispomena enclisi admissa si paenultima maneat brevis, fiunt proparoxytona ut *Músaque, ítaque, pléraque.* Proparoxytona, si paenultima iam sit longa, in hanc conferunt accentum, ut *magnúsque, magnásque,* si maneat brevis, accentum in sequentem syllabam traiciunt, ut *nescíoquis, plurímaque.* Nec tamen Romani amaverunt talia qualia sunt *plurímaque, plurímave, plurímane,* ideo, quia in his encliticis *e* postrema tam parum sonaret (ut adeo in *ne* saepius abiceretur, velut in *vin, viden*), excepto quando sequeretur vocalis; quod ubi fit, *e* finali in voculis illis elisa accentus retrahitur, ut *plúrimaqu' unus.*

Perversa autem et vix memoria digna sunt veterum grammaticorum praecepta, qui asserunt pronuntiandum *Musåque, hominéque, pleråque, utråque, itåque* (pro *et ita*) sim. Quae non magis sunt memoria digna, quam quod iubent pronuntiari adverbia *adéo, poné, circúm, docté* vel pronomen *eådem,* vel quod asserunt *in genetivo contracto sive vocativo verborum in*

-ius, -ium exeuntium, quorum antepaenultima est brevis, iam paenultimam acuendam pronuntiandumque *consíli*, *princípi*, *Vergíli.* Orta haec omnia partim ex perverso studio imitandi Graecorum accentus in encliticis aut regulam eorundem, qua praecipitur, ne feminina vel neutra adiectivorum accentum retrahant post syllabam, ubi accentus est in masculino, partim ex cupidine discernendi similia.

Proclisis apud Romanos usus fuit vix ullus. Nam ne in talibus quidem, qualia sunt *ab oris*, *ad illos*, praepositio omnino amittit accentum, sed retinet gravem.

Itaque proclisis tantum ibi fit, ubi praepositio cum casu in unum coalescit verbum, ut in *extémplo*, *inpraesentiârum*, perinde ut alia quaedam vocabula in unum coalescunt, ut *potissum* (*possum*), *satesse* (*sufficere*), saepe *antequam*, *priusquam*, *anteáquam*, *posteáquam*, *quómodŏ*, *iamiam*, *tumcum* (vel potius *tuncum*), interdum *quopacto.*

Atque ita elisione facta *potesse* (*posse*), *animadverto* coeunt.

§. 22.

Accentus num faciat ad mutandas quantitates?

Accentus vi optima litterarum Latinarum aetate, h. e. usque ad tertium p. Chr. saeculum, ne semel quidem producta syllaba.

Atque adeo contrarium accidit aliquotiens, ut in vocabulis multo usu tritis ea ipsa syllaba corriperetur, quae haberet accentum, ut Romani dixerunt *amaverĭmus*, *amaverĭtis*, *agnĭtus*, *cognĭtus*, *quandŏquidem*, *sĭquidem*, *utĭque*, *utĭnam.* *Neque magis syllabae, quae carerent accentu, ideo umquam correptae praeter finales. Finales enim ab omnibus populis efferri solent sono magis surdo ac tenui, quam reliquae.*

Itaque in finalibus correptas esse longas, cum praesertim tanta vis et constantia barytonesis esset in lingua Latina, minime mirum est.

Igitur nominum et verborum finales haud paucae in *r*, *s*, *t* exeuntes cum apud Plautum et antiquissimos scaenicorum inveniantur productae, communi dactylicorum usu sunt breves.

Praeterea quoniam, ut supra dixi, quo pauciora tempora habet vocabulum, eo fere est usitatius, maxime iambica vo-

cabula possunt finalem corripere (*nam monosyllaba longa corripi non licet*), ita tamen, ut in culto sermone id tantum fiat in eis, quae exeunt in vocalem. Inde paulatim ad alia vocabula fluxit correptio finalium.

§. 23.

De finalibus.

Dictum de mensura finalium apud poetas dactylicos d. r. m. 324—331; 333—344.

De finalibus monosyllabis.

Monosyllaba in vocalem exeuntia sunt longa praeter encliticas *quĕ*, *vĕ*, *nĕ*, *cĕ* (*hoscĕ*), *ptĕ*, (*suoptĕ*), *tĕ* (*tutĕ*, non *tetē*) et pron. indef. formam item encliticam *quă* (nom. fem., nom. acc. neutr.).

Monosyllaba in consonam exeuntia substantiva vel adiectiva in nominativo sunt fere longa, ut *ōs* (*oris*), *pēs*, *pār*, *plūs*, praeter *cŏr*, *fĕl*, *mĕl*, *ŏs* (*ossis*) — ut demonstrat *exŏs* — *vir*, fortasse etiam *lăc*.

Quae non sunt substantiva, sed pronomina vel indeclinabilia plerumque corripiuntur *ut ĭs*, *quĭs*, *quŏd*, *quĭd*, *ĕt*, *ăt*, *ăb*, *ĭn*.

Longa tamen adverbia in *c* exeuntia nec minus *āc* (d. r. m. 344) et *ēn*, *nōn*, *quīn*, *sīn*, *crās*, *cūr*.

Hic (nom. sing.) plerumque, *hoc* (nom. et accus.) semper sunt longa vocali, ut et ablativi *hōc*, *hāc*; longa etiam *dīc*, *dūc*, sed brevi *făc*, *fĕr*.

Alioquin in finalibus eaedem observantur leges quantitatum, quae in plusquam monosyllabis.

§. 24.

De finalibus plusquam monosyllabis.

I. De finalibus in vocalem exeuntibus.

De a finali [d. r. m. 340, 41].

A brevis est praeter ablat. singul. prim. decl. et mod. imperat. prim. coniug., ut *viā*, *amā*. Excipitur illud *pută*, quando idem est quod Rossicum *naprimjér*, Germanicum *zum*

beispiel. Praeterea producitur *semper* in numeralibus ut *trigintā* et in particulis omnibus (praeter *ită*, *quiă*), quales sunt *anteā*, *infrā*, *intrā.* In *eia* (*heia*) interiectione finalis melius corripitur quam producitur.

Denique *a* longum est in vocativis Graecorum in *as* exeuntium ut *Aeneā*, *Acacidā*, *Atlā*, interdum etiam in nominativis primae decl., qui habent *ā*, ut *Ledā*, *Electrā.* Contra in accusativo verborum in *εύς* exeuntium *ă* semper breve est, ut *Peleă.*

De e finali [d. r. m. 340].

E breve est. Longum in ablativo quintae ut *diē*, et in *famē*, *requiē*, interdum etiam in *tābē* (Lucr.), *contagē* (Lucr., qui et *contagĕ*). Ita ap. Varronem est *squalē*, *scabrē.* Illud *molē* testatur Priscianus, sed invenitur tantum *molĕ.* Longa eadem in imperativis secundae coniug., ut tamen saepe *cavĕ*, interdum etiam *vidĕ*, *tacĕ* (Phaedr.), *avĕ* (Phaedr.), *silĕ* (Sen. trag., cf. d. r. m. 284) a bonis corripiantur auctoribus, sed non *valē.* Longa adverbia *ferē*, *fermē*, *peregrē* (*peregri*), ut ap. Hor. sat. I, 6, 102, sicut ea, quae descendunt ab adiectivis secundae, ut *rectē*, exceptis *benĕ*, *malĕ* et, quod mirum est, *infernĕ*, *supernĕ*, quae quidem correpta finali leguntur apud Lucretium et in versu quodam spurio Horatii (c. II, 20, 11), neque umquam, quantum scio, longa. Denique *e* longa in interi. *ŏhē.*

In Graecis primae *e* semper longa est ut *Circē*, *Atridē*, nec non in neutris tertiae ut *cetē*, *pelagē*, *tempē.* Praeterea nomina propria in *es* exeuntia tertiae, quae in accusativo *en* possunt adsumere, interdum *ē* habent ablativo, ut *Hippomenē*, *Archigenē*.

De i finali.

I longum est. *Veni* tamen imper. corripit Phaedr. Anceps in *mihi*, *tibi*, *sibi*, *ubi*, *ibi*, ut tamen in his finalis saepius multo corripiatur. Brevis eadem in *nisi quasi* (cet. cf. d. r. m. 334) et in *cui* quando est disyllabum. *Heri* num sit brevi *i* apud dactylicos, non satis apparet. Melius utique apud eos, ubi brevi opus, legitur *herĕ.* Longa in *ŭtī*, *velutī*, *sicutī.* Ex compositis *ibīdem* melius mediam producit; *utĭnam*,

ŭtĭque, nŭtĭquam, ubĭnam, ubĭvis habuere *i* brevem, *ubīque, utrobīque* longam.

Praeterea in vocativis Graecorum *i* corripitur, ut *Alexĭ*, ac *binis locis* apud Catullum et Statium in dativo sing. tertiae decl. Contra in dat. plur. pro *ibus* numquam *sĭ*, sed semper *sĭn* adhibetur a poetis, idque raro.

De o finali [d. r. m. 336—340].

O ab antiquissimo tempore correpta in illis *endŏ* (Enn.), *sollŏ* (Lucil.), et in eis, quae sunt, *ego, duo, modo* (quamquam *modō* invenitur ap. Lucretium et Ciceronem), *cito, cĕdo, ĕho*, praeterea saepe in nominibus aut verbis aeque iambicis *homo, puto, volo, scio, dabo* ac semper in *nesciŏ quis.* Ab his et similibus initiis Augusti tempore latius propagatus mos corripiendi finalem. Cf. d. r. m. 337, 8. Apud *Vergilium* tamen *Horatiumque* et Tibullum praeter *iambica* tantum *cretica* pauca admodum inveniuntur correpta, ut *Poliŏ, mentiŏ, nuntiŏ, dixerŏ.* Ita Horatius etiam *quomodŏ* (cf. d. r. m. 337). Deinde Propertius praeter *caeditŏ* dixisse videtur *findŏ.* Denique Ovidius in distichis, non in metamorphosibus, ausus est plura cretica et spondiaca corripere (velut semper illa *Sulmŏ, Nasŏ*), et in his adverbium *ergo.* At saeculi p. Chr. primi poetae etsi in *o* finali varia secuti sunt placita, tamen maiorem partem et nominativos et verba in *o* exeuntia quaelibet corripiunt pariter atque adverbia et particulas ut *ideŏ, illicŏ, quomodŏ, subitŏ, serŏ, quandŏ* et numeralia *ambŏ, octŏ. Immo*, quod apud scaenicos habet *o* anceps, et ap. Catullum longum, a saec. inde p. Chr. I modo producit finalem, modo corripit.

Praeterea Seneca et Iuvenalis sicut plures ultimorum saeculorum *ablativum* (non *dativum*) gerundii, quando participii praesentis est instar, corripiunt ut *vincendŏ, vigilandŏ.*

Alioquin ablativus numquam corripitur, non magis quam *o* in verbis monosyllabis, ut *dō, stō*, et in Graecis ut *echō, Sapphō* vel in interi. *ĭō.* Contra à saec. inde p. Chr. I *o* pro *ων, ονος* interdum corripitur, ut *Agamemnŏ.*

De u vel y finali.

U longum est praeter formas archaicas *indŭ* (vel *endŏ*) et *noenŭ*, et fortasse *simītŭ* (pro *simul*); *Y* breve est, ut *molў.*

§. 25.

II. De finalibus in consonam exeuntibus.

De c finali.

In *c* exeuntia longa sunt, ut *illīc*, *allēc*, praeter *donĕc;* in *huic* *i* et corripi potest, ut videtur, et produci [d. r. m. 270].

De t finali.

T finalis optimo tempore semper habuit praecedentem vocalem brevem praeter *iīt* et *petiīt* cum compositis, ubi ad compensandum *v*, quod omissum erat, retenta est longa. Contra *ivĭt*, *petivĭt* brevi sunt finali.

De l, m, n, r finalibus.

In *l*, *n*, *r* exeuntia sunt brevia praeter composita verbi *pār* et *liēn* (quod ortum ex *liēnis*) et Graeca quae habent vocalem longam exceptis eis quae in ωρ, ορος exeunt ut *Hectŏr*, *Agenŏr*. *Celtiber* et producit finalem et corripit. Etiam *vidĕn*, quod factum ex *vidēsne*, breve est.

De eis quae in s exeunt.

De as finali.

As longa praeter nominativum Graecorum, quae habent ας, αδος, ατος, αος, atque accusativum tertiae, ut *Thracăs*. *Anas* num sit brevi finali non constat; nam Petronii cap. 93 v. 2 corruptus.

De es finali.

Es longa. Brevis in nominibus Latinis, quae in genetivo accrescunt syllaba, ut paenultima sit brevis, ut *milĕs*. Excipiuntur tamen *abiēs*, *ariēs*, *pariēs*, *Cerēs* et quae descendunt a *pēs*. Praeterea *es* a poetis corripitur in nomine tert. decl., quando posita est pro ες, ut *Thracĕs*. Denique *es* brevis in *penĕs* et *ĕs* quod descendit a *sum*, cum *ēs* pro *edis* producatur.

De is finali.

Is brevis. Longa in plurali ut *nobīs*, *puerīs*, *anguīs* (pro *angues*), in nominativo tertiae, quando genetivi, una syllaba si accrescat, longa est paenultima, ut *Samnīs*, *delphīs*, interdum etiam in *pulvis*, *sanguis;* nec minus ubi in Graecis est εις,

ut *Salamīs*, *Simoīs*, *Sardīs*, *Trallīs*, *Aeolīs*, *Doriīs*. Longa eadem in secunda persona praesentis quartae coniug., ut *audīs*, et in *vis* cum compositis, ut *quantumvīs*, et in coni. praes. ut *sis*. In perfecti coniunctivo et indicativo futuri II *is* anceps (sed ut melius producatur), ut *redderīs*.

De os finali.

Os longa praeter *exŏs*, *compŏs*, *impŏs* et ubicumque posita est pro ος ut *Parŏs*, *epŏs*, *Tethyŏs*.

De us finali.

Us brevis praeter genet. sing. et nom. et accus. plur. quartae, ut *fructūs*, et praeter nom. tertiae, quando *u* longum est in genetivo, ut *virtūs*. Nec enim *Horatius* dixit ep. II, 3, 65 *palŭs*. Longa etiam in graecis, quae habent ους, ut *Panthūs*, *Oedipūs*, *Iesūs*. Contra recte habet illud *polypŭs*, quod descendit a Dorica forma πωλύπος.

De ys finali.

Ys brevis est, ut *chlamy̆s* (sed pro *Phorcy̆s* melius dicitur *Phorcŭs*), praeter illud *Tethȳs*.

§. 26.

De mediarum syllabarum quantitate.

De productis positionis vi vocalibus dictum §. 16. De eis, quas sequitur *i* consona, expositum in indice sub *i*.

Longae sunt, ut iam supra dictum est, omnes vocales, quae contractione sunt ortae, omnesque diphthongi, ut *cōperio*, *nīl*, *iūnior*, *prūdens*, *mālo*, *ēs*, pro *cooperio*, *nihil*, *iuvenior*, *providens*, *mavolo*, *edis*.

Etiam si syllaba omittatur, ad verbi damnum compensandum brevis fere fit longa, ut *māvis* pro *măgĕvis*, *stīpendium* pro *stĭpĭpendium*, *hūmanus* pro *hŏmĭnanus*. Contra si una vocalis aut consona omittitur, plerumque manet prior quantitas, ut *sŭpra* pro *supera*, *cŭpressus* pro κυπάρισσος, *quăsi* pro *quam si*.

Brevis est vocalis vel diphthongus pura, h. e. ante vocalem vel *h* posita, ut *prŏavus*, *sĕorsum*, *praĕeo*, *dĕhinc*, *dĕhisco*.

Excipiuntur genetivi sing. num. et nomin., dat. ablat.

plur. verborum in *es, aius, a, um, eius, a, um* exeuntium, ut *diēi, Gāi, Grāis, Bais, Vēi, Vēis, pulēis,* praeter illa *rĕi, spĕi, fidĕi,* et verbi *fīo* formae, quando non sequitur *ĕr,* ut *fĭeri, fĭerem,* et genetivi in *ius* omnes (etiam *alterīus*), qui certe saec. p. Chr. I fuere *i* longa. Item ex Graeco *ειος, εια, ειον* Latine aliquando fit *ĕ* vel *ĭ*, ut *platĕa, chorĕa, conopĭum.*

Plura de vocalibus productis ante vocales dicta summ. metr. Lat. 54.

In compositis prioris partis manet prior quantitas, ut *contrādico, quāpropter, vidēlicet (vidērelicet), scīlicet (scīrelicet), contrōversus, aliōquin,* et, ut puto, *sacrōsanctus, sēdecim* (pro *sexdecim*), *venēficus* (pro *venēnificus*). Excipiuntur *hŏdie (hōc die), sĭquidem, quandŏquidem,* et quae § 24 sub *i* finali sunt notata.

Pro praepositio in compositis saepe variat, ut apparet ex indice. Verbi *facio* composita, quorum prior pars est verbum, si praecedens vocali *e* syllaba longa est, e producunt, ut videtur, licet dixerit Cato *arfacere* pro *arĕfacere,* ut *ārēfacio, frīgēfacio, candēfacio, expergēfacio,* si brevis, corripiunt *e* ut *lĭquĕfacio, lăbĕfacio,* sed ut interdum, ut in *liquefacio, tepefacio, putrefacio* producatur eadem.

I, quando ad copulanda composita est interposita, corripitur ut *magnĭficus, tubĭcen;* sed quando *i* est genetivi aut contractione orta, producitur ut *agrīcultura, verīsimilis, lucrīfacio, magnīfacio, tibīcen (tibĭicen), merīdies (medĭidies).* Similiter longa antepaenultima in *prīdie, postrīdie, quotīdie,* ubi *i* etiam est genetivi vel potius locativi. Item longa *i bīduum, trīduum, quadrīduum.*

U et *y* in compositis breves ut *locŭples, quadrŭpes, Graiŭgena, Polўphemus.* Excipitur *manūmitto* cum derivatis, ubi *manu* est ablativus.

Perfecta disyllaba longa sunt, praeter illa *bĭbi, dĕdi, fĭdi, stĕti, stĭti, tŭli, scĭdi,* quae prius habuerunt reduplicationem, ut *tĕtuli, scĭcidi.*

Longa etiam supina disyllaba praeter illa *cĭtum,* a *cieo,* (contra *cītum* a *cio*), *dătum, ĭtum, lĭtum, quĭtum, rătum, sătum, rŭtum, sĭtum (stătum* a *sisto).* Ita et *fŭturus* a verbo *fuo.* In his tamen cum *i* sit omissa ante *t,* interdum deteriores

auctores variant quantitatem paenultimae, quae etiam in derivatis nonnullis, ut *Sāturnus*, producitur, item in illo *rūta caesa.*

In compositis et derivatis manet fere vocabuli simplicis quantitas, non tamen ut desint exceptiones, ut a *iūro* descendit *eiĕro, peiĕro*, a *lābor lăbo*, a *dīco maledĭcus* sim., a *pāce pă-ciscor*, a *mōle mŏlestus.* Sic frequentativa, quae descendunt a prima, *-ātum* supini mutant in *-ĭto*, ut *clamĭto*, ut et *năto* descendit a *nāre*, quod supino caret. Item haud raro variat quantitas in substantivis et verbis eiusdem radicis, ut *lēx, rēx, vōx, dŭx, lĕgo, rĕgo, vŏco, dūco; fĭdes, fīdo; nŏta, nōtus; sēdes, sĕdeo; sŏpor, sōpio; lŭcerna, lūceo.* Alia notata in indice.

Etiam de syllabarum quarundam derivativarum quantitate dictum in indice.

Praeterea quantitas syllabarum demonstratur auctoritate poetarum, maxime eorum, qui fuere a Lucretio usque ad Iuvenalem, aut in derivativis per analogiam flexionum similium, ut *antīcus, postīcus*, aut in simplicibus collatis eis, quae ab his descendunt, ut illud *căpio* brevi antepaenultima esse noscitur ex forma *incĭpit.*

III.

INDEX

orthographicus et prosodiacus.

In orthographia, ut in praefatione dictum est, primo loco respeximus saec. p. Chr. I morem, secundo Augusti et Ciceronis aetatis usum. In prosodia poetarum a Lucretio ad Iuvenalem potissimum describuntur placita, ac subinde Ennii ac Lucilii, rarissime Plauti et Terentii.

In orthographia constituenda hanc secuti sumus viam, ut ubi plures eiusdem vocabuli extarent scripturae, quae testimoniorum auctoritate adsererentur, nobis probaretur ea, quae sono commendaretur. Talis ubi nullis esset munita testimoniis antiquitatis, satis visum est scripturae vulgatae addere, quo esset modo pronuntiandum, ut: biiugus, *pronunt.* bĭiugus.

Quando duae vel tres apponuntur unius vocabuli scripturae vel prosodiae, prior loco eadem usu est potior. Quae uncis sunt inclusae, non imitandae, nec tamen omnino reiciendae.

Si praeponitur scripturae vel prosodiae illud: *non*, significatur *eam aut omnino non Latinam aut ab aetatis optimae usu alienam aut certe adversam rationibus orthographicis vel prosodiacis, quas nos sequimur.*

In rebus prosodiacis notandis ubi additur compendium hoc: *poet.*, significatur prosodiam, quae apponitur, esse *poetarum dactylicorum;* adiecto illo: *dact.* demonstratur *eam in carminibus eorum dactylicis vel logaoedicis, non in iambicis inveniri.*

Ceterum in prosodia cum tot vulgo ferrentur errores, etiam leviora multa notavimus.

In nominibus semper nominativus, in verbis prima persona respicienda, in compositis aut derivatis, si non ipsa sunt notata, ea, a quibus sunt ducta. Ubi de finalis syllabae quantitate ambigitur, videnda finalis.

Praemissa syllabae lineola finalis, postposita initialis syllaba indicatur.

A

a *littera, cf.* §. 11.
a *finalis quantitas, cf.* §. 24.
a, ab, abs (aps).
ab *ante vocales* vēl h *et consonas,* a *ante consonas. Ante* b, p, f, m, v *plerumque ponitur* a, *ante* l, n, r, s, i consonam *saepe* ab, *rarius ante alias consonas.* Abs te *interdum pro a te.*
a, ab, abs *in compositis; cf.* §. 15 II.
a *interi., non* ah.
Ăbella, *non* Avella, Bella.
abeo, abii, *non* abivi, *conf.* eo.
abfore, abfui, *cf.* absum.
abicio, *cf.* iacio.
abstēmius.
absum, afui, *non* abfui; *et ita in reliquis quae incipiunt ab* f, *ut* afore.
āc *numquam ante vocales vel* h; *etiam ante* c, g, q, ch *raro invenitur apud multos; cet. cf.* atque.
Academīa.
accerso, *cf.* arcesso.
accĭdo *a* cado.
accīdo *a* caedo.
accītus, advocatus.
Accius, *non* Attius.
ăcer *arbor.*
ācer, -cris, -cre.
ăcerbus.
-āceus, *ut* mustāceus, merdāceus.
Ăchĕron, Ăcherusius *poet., sed Plautus, ut videtur,* Ācheruns, Ācheruntĭcus.
Ăcīlius.

D

E

G

K

L

Argumentum.

Schriften von Lucian Müller
im Verlage von **B. G. Teubner** in Leipzig.

Muelleri, Luciani, de re metrica poetarum latinorum praeter Plautum et Terentium libri septem. Accedunt eiusdem autoris opuscula. [491 S.] gr. 8. 1861. geh. n. ℳ 8.—

——— Geschichte der klassischen Philologie in den Niederlanden. Mit einem Anhange über die lateinische Versification der Niederländer. [VIII u. 250 S.] gr. 8. 1869. geh. n. ℳ 5.—

——— de Phaedri et Aviani fabulis libellus. [IV u. 34 S.] gr. 8. 1875. geh. ℳ 1.—

——— Leben und Werke des Gaius Lucilius. Eine literar-historische Skizze. gr. 8. [VIII u. 43 S.] geh. n. ℳ 1.20.

——— rei metricae poetarum Latinorum praeter Plautum et Terentium summarium. In usum sodalium Instituti historici philologici Petropolitani. [IV u. 82 S.] gr. 8. 1878. geh. n. ℳ 1.60.

Catulli carmina. Recensuit Lucianus Müller. [LXXXII u. 134 S.] 8. 1871. geh. ℳ —.45.

Catulli, Tibulli, Propertii carmina. Accedunt Laevii, Calvi, Cinnae aliorum reliquiae et Priapea. Recensuit et praefatus est Lucianus Müller. [LXXXII u. 134 S., XXXI u. 64 S., LI u. 138 S.] 8. 1870. geh. ℳ 2.70.

Horatii carmina. Recognovit et praefatus est Lucianus Müller. [LXXX u. 279 S.] 8. 1869. geh. ℳ 1.—

——— carmina. Lucianus Müller recognovit. [Elegante Miniaturausgabe mit Titelvignette in Kupferstich. 362 S.] 16. 1874. geh. n. ℳ 2.40, elegant gebunden mit Goldschnitt n. ℳ 3.60.

Lucili, C., saturarum reliquiae. Emendavit et adnotavit Lucianus Mueller. Accedunt Acci (praeter scaenica) et Suei carminum reliquiae. [XLVIII u. 372 S.] gr. 8. 1872. geh. n. ℳ 9.—

Optatiani Porfyrii, Publilii, carmina. Recensuit et praefatus est Lucianus Mueller. [XLIV u. 76 S.] gr. 8. 1877. geh. n. ℳ 3.60.

Phaedri fabulae Aesopiae. Recognovit et praefatus est Lucianus Mueller. [XIV u. 66 S.] 8. 1868. geh. ℳ —.30.

——— fabularum Aesopiarum libri quinque. Emendavit adnotavit supplevit Lucianus Mueller. [XLII u. 120 S.] gr. 8. 1877. geh. n. ℳ 3.—

Propertii, Sex. Aurelii, elegiae. Recensuit Lucianus Mueller. [LI u. 138 S.] 8. 1870. geh. ℳ —.60.

Rutilii Namatiani, Claudii, de reditu suo libri II. Accedunt Hadriani Flori Apuleii Anniani Sereni aliorumque saec. a. v. c. x. poetarum reliquiae. Recensuit et praefatus est Lucianus Mueller. [XII u. 61 S.] 8. 1870. geh. ℳ —.75.

Tibulli, Albii, libri quattuor. Recensuit Lucianus Mueller. [64 S.] 8. (1870.) geh. ℳ —.30.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.